Tertia Urna integra ſepulchralis effoſſa eſt ex Oſtercampo auſſ dem Oſterfeld ità dicto ab Idolo Saxonum veterum Oſter, Aſtaroth Aº 1729. et adhuc diligenter cuſtoditur â nob. D. Winckel Senatore Reipublicæ Goſlarienſis digniſſimo. vide. Oryctogr. Goſlar. Alb. Ritter. p. 19. t. 2. f. 4.

Aſtaroth, Oſtar, Aſtarte: Idolum Saxonum veterum, â quo prædictus Oſterfeld, ſeu Oſtercampus nomen ſuum trahit, alias etiam Iuno Ammonia, ſeu Luna Regina Cœli dictum. In S. Scriptura quaſi ſemper deſcribitur unà cum Idolo Baal, quia erant ſimul falſi Dii Sydoniorum: fuit etiam Idolum Saxonum veterum, non minus, quàm Philiſteorum, Syriorum, Phoeniciorum etc. et præſertim â Salomone templa in honorem huius Deæ ædificata fuerant in lucis in ſummitate montium Ieroſolimæ proximorum ſitis, quibus ſuis concubinis placere annitebatur. In Germania eius ſimulacrum erat Virgo cornuta, in fronte gerens lunam falcatam. vide Dan. Schneiders Bibliſches Lexicon ſub voce Aſtaroth. Alb. Ritter. Oryctogr. Goſlar. pag. 12. et 13. tab. 2. fig. 3.

Caput Lucii piſcis, cuius partes internæ ſpinoſæ, ſeu oſſeæ, aut cartilagineæ quaſi omnes petrificatæ videntur in lapide fiſſili nigro micis aureis imbuto. Alb. Ritter. Orycto. Goſlar. p. 31. t. 2. f. 7.

Cornu Ammonis fortè articuloſum concameratum orbibus quaſi planis ſtriis ſquameis in medio orbium ſenſibiliter eminentibus, in ſpirâ verò, et oppoſito latere inferno profundè ſulcatis, umbilico ſeſe ex utroque latere in centro attingente. Oryct. Goſlar. Alb. Ritter. p. 30. t. 2. f. 2.